

Deum mediis formis creatis operari, quando formæ illæ se habent ut virtutes per se operativæ, et propriæ rei creatæ. Tunc enim connaturalius est, quod Deus illas agere permittit, quam quod impediatur, et per ipsum suppleat. Quando vero formæ solum se habeant, ut repræsentativæ, et vices gerentes alterius, si illud alterum sit præsens, et per se ipsum sufficienter actuans, potius superfluit, et minus connaturale est, quod per alterum id fiat loco illius, ut in substantia Angeli respectu proprii intellectus sæpe dictum est.

Nec valet dicere, quod Deus tamquam principale agens producit gratiam, et tamen adhuc utitur de facto instrumento, a quo tamen non dependet in operando, ergo similiter, licet sit præsens, et per se ipsum intelligibilis in actu ultimo, poterit uti specie tamquam medio vices gerente sui. Respondetur esse magnam differentiam, quia causa instrumentalis non repræsentat, nec supplet totaliter vicem causæ principalis, sed solum ipsi ministrat; unde oportet, quod causa principalis simul concurrat cum instrumentali, et ideo causa instrumentalis non est sine consortio causæ principalis, sed simul cum illa tamquam illi ministrans, principalis autem causa, ut per se concurrens. Species vero ita repræsentat objectum, et vices ejus gerit, quod non instrumentaliter illi deservit, nec cum ejus consortio, aut influxu repræsentat, sed per se solam integre vices ejus gerit; et sic superfluit si objectum per se ipsum uniatum potentie modo dicto.

XIII. Ad tertium fundamentum infra latius respondebit, tractando de unione essentia divinae in ratione speciei intelligibilis. Modo dicimus, quod divina essentia non per solam assistentiam extrinsecam, sed

per intimam unionem veram, et realem actuatur intellectum, non in genere causæ formalis inhærentis, vel componentis aliquam naturam entitative, sed objective, et intelligibiliter determinantis potentiam. Et hæc informatio non repugnat Deo, quia potius se habet per modum termini, quam per modum formæ, sicut subsistentia divina actuatur naturam humanam. Similiter non est difficile intelligere, quod essentia divina sic unita specialiter concurrat ad eliciendam visionem determinando, et repræsentando, sicut influit species intelligibilis in actum, ubi importatur aliquid efficientiæ, quam etiam habet divina essentia sic unita, qui est concursus præter concursum generalem causæ primæ, sicut etiam Persona divina, ut subsistens in natura humana concurrat tamquam principium quod ad operationes humanas, et non solum generali influxu causæ primæ. Nec subordinatur essentia divina intellectui ex hoc quod si concurrat, sed potius subordinat sibi intellectum perficiendo, et actuando illum intelligibiliter, ut jam diximus, et amplius infra explicabimus.

### ARTICULUS III.

*Utrum implicet dari speciem impressam repræsentativam Dei clare visi?*

I. Duæ sunt in hac parte oppositæ sententiæ. Prima affirmat non implicare contradictionem dari talem speciem. Quæ sententia paucos ex antiquis habet patronos, qui expresse illam tradant. Nam quod aliqui attribuunt eam Scoto, falluntur, nec videntur diligenter eum legisse. Nam in quodlibetis XIV et XV potius indicat oppositam sententiam,

ut retulimus præcedenti articulo: de possibilitate autem speciei intuitivæ nihil ibi determinat m. Gonzalez in præsentis disputatione XXV, sect. III, articulo citato Scoti in II, dist. III, q. IV. Ubi nihil minus affirmat, sed solum ibi agit de principio individuationis in substantiis materialibus. Posset tamen citari in illa distinctione, quæst. IX, ubi tamen solum admittit, speciem abstractivam repræsentantem distincte divinam essentiam esse possibilem, dum tamen inquit non intuitive repræsentet. Et de hac etiam specie loquitur quodlibeto VII, art. II. Quare ex antiquis vix invenias pro hac sententia, nisi Aureolus apud Capreolum, in IV, dist. XLIX, propositione X; Herrera in I Scoti, disp. X, q. IV, art. I. Ex aliis plausit hæc sententia Molinae super istum art. II, disp. I; Suarez, in met. disp. XXX, sect. XI, n. XXVII, et lib. II de attributis negativis, cap. XIII; Vazquez hic disputatione XXXVIII, cap. II, et disp. XLIII, cap. VII; Valentia, tom. I, disp. I, q. XII, puncto II, Ægidio, lib. I de beatitudine, q. II, art. II, quos sequuntur alii minoris notæ.

II. Fundamentum hujus sententiæ solum consistit in duplici medio. Primum negativum solvendo rationes D. Thomæ; secundum positivum producendo quasi a simili ex aliis, quæ non implicant, et tamen similia habent cum specie impressa. Primum destruemus explicando rationes D. Thomæ. Secundum seorsum adducemus, et solvemus. Quod vero tentavit Vazquez a sententia opposita excludere D. Thomam, ne ejus auctoritas illi suffragaretur intendens probare, quod D. Thomas non est locutus in præsentis de specie impressa, jam supra rejectum est præcedenti articulo.

III. Secunda sententia docet implicare speciem ejusmodi impressam. Quam esse sententiam D. Thomæ

in præsentis articulo statim ostendimus ejus rationes explicando, nam certe ita negat dari hanc speciem ex ipsa intrinseca, et propria ratione speciei, ut vel ejus rationes absolutam implicationem probent, vel nihil probent. Sequuntur D. Thomam omnes ejus discipuli ad unum, Capreolus in IV, dist. XLIX, qu. V, art. I, conc. I; Hispalensis ibidem quæst. V, artic. I ad IV; et Scotus ibidem, q. II, art. III, conc. II; Conradus 1-2, q. L, art. VI, ad finem; Ferrariensis I, in contra gent. cap. LIII; Cajetanus late in præsentis art. II; et ibidem m. Bagnez, Navarrete, Gonzalez, Nazarius et alii commentatores hujus articuli; Gabriel III p. q. X, art. I, disp. V, concl. III, et ex recentioribus Arrubal hic disp. XVI, c. IV, et Granados I part. tract. IV de visione disp. V, sect. III, ut omittam aliquos ex antiquis ut S. Bonaventuram, Durandum, Paludanum, Alensem et alios, qui pro hac sententia citati solent in quibus expediendis non possumus immorari.

IV. Fundamentum hujus sententiæ non aliunde melius assumi potest, quam ex ipsis rationibus D. Thomæ quæ in hac parte efficacissimæ sunt, et si quid probant, sine dubio implicationem ipsam probant, et ideo diligenter a nobis expendendæ sunt.

EXPENDITUR PRIMA RATIO D. THOMÆ.

V. Sic illam proponit doctor sanctus. Per similitudinem inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ, ergo multo minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri.

VI. Hæc ratio multipliciter insta-

ri potest, et ex responsione ad ejus instantias melius explicabitur profunditas ejus. Et primo obicitur contra consequentiam, deinde contra ipsum antecedens. Contra consequentiam instatur, quia D. Thomas non dicit in antecedente, quod per similitudinem ordinis inferioris non potest representari res superioris ordinis, sed dicit, quod per similitudinem rerum inferioris ordinis non potest representari aliquid superius, sicut per speciem corporis, inquit D. Thomas non potest representari aliquid spirituale, id est, per speciem representantem corpus non potest representari res spiritualis. Quæ propositio verissima est, quia hoc ipso quod species representat rem aliquam inferioris ordinis non potest mediante tali re representata representare rem superiorem, nisi prout continetur in tali re representata, sicut species quæ mihi representat corpus non potest mediante tali corpore representato manifestare spiritum. Cæterum ex hoc antecedente non infertur consequens, quod non possit dari aliqua species, quæ in se sit inferioris ordinis, et tamen non immediate representet rem inferioris ordinis, sed immediate rem superioris ordinis, quod solum in præsentem inquirimus. Si enim solum representat rem inferioris ordinis, et mediante ea re representata, et cognita aliquid superius, solum probat ratio D. Thomæ quod non datur medium prius cognitum, et objectum ad cognoscendum Deum in se, scilicet res representata per speciem inferiorem, quod est incidere in opinionem Vazquez quod D. Thomas solum intendit hic negare medium objectivum respectu visionis Dei.

VII. Circa antecedens autem assumptum a D. Thoma instatur, quia quando dicit, quod species inferioris ordinis non potest representare

rem superioris ordinis, vel loquitur de specie in esse entitativo, vel in esse representativo, et intentionali. Primum est manifeste falsum, nam constat, quod species quæ est accidens representat substantiam Angeli, vel hominis, et tamen est inferioris naturæ ad substantiam representatam. Si secundum, instatur in ipsa specie expressa, quam multi admittunt respectu Dei clare visi, et tamen intentionaliter est inferioris ordinis. Instant etiam aliqui in specie qua Angelus intelligit res materiales, quæ non est ejusdem rationis cum rebus representatis, ergo non requiritur adæquatio ejusdem rationis. et ordinis inter speciem, et rem representatam. Melius instatur tertio in specie Angeli inferioris representante Angelum superiorem quidditative, et intuitive, et tamen non est ejusdem rationis in intelligibilitate cum Angelo superiori, si quidem species Angeli inferioris est proportionata ipsi subjecto, in quo est, et cui connaturaliter debetur, ergo bene potest aliquid inferioris spiritualitatis, et ordinis representare aliquid superioris intelligibilitatis quidditative, et intuitive, et sic non requiritur omnimoda adæquatio, et proportio inter speciem intelligibilem, et rem representatam quod est totum fundamentum D. Thomæ. Instatur quarto a p. Vazquez ubi supra, quia ipsum esse representativum, quod est intrinsicum speciei est aliquid accidentale etiam in ipsa ratione representativi, et tamen representat substantiam, ergo non requiritur proportio, et adæquatio inter speciem etiam secundum esse representativum, et rem representatam. Nec obstat responsio Cajetani quod per accidens convenit speciei quod sit substantia, vel accidens. Nam contra est, quia de ratione speciei est quod sit principium informans intellectum, ergo

necessario debet informare per modum accidentis etiam in esse representativo, quia per modum substantiæ non potest, cum non sit informatio substantialis, informatio autem media inter accidens, et substantiam est chimerica.

VIII. Ex alia parte instatur hoc antecedens a p. Suarez, lib. II de attributis negativis, cap. XIII concedendo quod species representans Deum non est inferioris ordinis, sed ejusdem cum ipso, sed accidentaliter, non substantialiter, sicut etiam lumen gloriæ, et visio beata, et aliæ formæ supernaturales sunt ejusdem ordinis cum Deo accidentaliter. Nec amplius probat ratio D. Thomæ quam quod illa species si datur sit ordinis superioris accidentaliter, quia non amplius exigitur in speciebus respectu suorum objectorum quam quod accidentaliter participant eundem ordinem cum suis objectis representatis. Ergo hoc solum exigitur, ut detur illa species representativa Dei ut est in se. Hoc autem non repugnat, cum videamus dari formas supernaturales, quæ accidentaliter sunt ordinis divini.

IX. Denique, ad hanc rationem D. Thomæ respondent Ægidius lib. IX de beatitudine, qu. II, art. III, §. IV quod species creata solum debet esse inferioris ordinis respectu essentiæ divinæ, ut infinite representabilis. respectu vero essentiæ divinæ, ut representabilis finito modo non debet esse ordinis inferioris, sicut ipsa visio Dei repugnat quod sit creata, et quod videat Deum infinite, non tamen quod sit creata, et finite videat Deum, licet intuitive, et in se. Quare species redditur finita, vel quia in representativa objecti finiti, vel quia finito modo representat objectum infinitum. Species autem corporis ideo non potest representare rem spiritualem, quia excedit

totam virtutem speciei, et potentiæ corporeæ. Deus autem finito modo visus non excedit vim potentiæ creatæ saltem extensive; ergo neque vim representandi in specie creata. Quare exemplum illud de specie corporea respectu rei spiritualis retorquetur, quia si aliquid probat, probat etiam potentiam creatam non posse videre Deum, quia etiam potentia corporea non potest videre spiritum, sicut nec species illum representare, et hoc exemplum vel pari modo currit de potentia, et de specie vel de neutro probat.

X. Cæterum ex solutione istarum responsionum illustrior redditur vis rationis D. Thomæ. Unde ad primam, quæ tangit vim consequentiæ respondetur, quod D. Thomas procedit ibi in sensu valde formali, ut solet. Loquitur enim de similitudine respectu ejus, cujus est similitudo, non autem entitative, et materialiter respectu ejus, in quo existit talis similitudo. Unde si sit similitudo inferioris ordinis in quantum similitudo est formaliter, et comparative ad suum objectum, implicat, quod prout sic sit inferioris ordinis, et non sit etiam de re inferioris ordinis, si quidem sub hac formalitate, et comparatione intentum similitudo dicitur talis, in quantum consideratur comparative erga objectum. Ergo idem est esse inferioris ordinis in ratione similitudinis sic formaliter considerata, atque esse similitudinem objecti inferioris ordinis. Unde stat valida consequentia D. Thomæ et implicatio manifesta respectu omnis speciei representativæ divinæ essentiæ in se. Nam implicat quod inveniatur similitudo aliqua inferioris ordinis in ratione similitudinis formaliter considerata, quin talis similitudo non sit inferioris ordinis, sed si daretur species creata, talis non solum in ratione entitatis, sed etiam in ipsa

formali ratione similitudinis creata esset, si quidem illa similitudo formaliter est quædam repræsentatio ad rem repræsentatam, quæ est intrinsece in specie ipsa, et sic est creata, nam si esset divina, et increata, hoc ipso species illa formaliter, et in ratione similitudinis repræsentantis esset actus purus, et consequenter non posset inveniri in aliqua entitate accidentali, sed esset per se subsistens in ipsa formalitate similitudinis, atque adeo nullo modo esset species creata. Ergo ut species creata sit oportet, quod etiam ex ipsa formalissima ratione similitudinis inventa intrinsece in tali specie sit etiam creata in quantum similitudo est, et consequenter in quantum talis, erit inferioris ordinis, et consequenter debeat esse de re, seu objecto inferioris ordinis. Ergo implicat quod sit species creata secundum formalem rationem similitudinis repræsentativæ, et tamen immediate sit de objecto divino, et non creato, seu ejusdem ordinis cum ipsa formali similitudine.

XI. Dices : Similitudo hoc modo sumpta sub formali ratione, et comparatione ad objectum sufficet quod terminative sit increata, et superioris ordinis, quod nihil aliud est quam similitudinem illam habere pro objecto Deum ipsum in se. Ex hoc modo respondetur quod bene potest aliqua similitudo formaliter terminativam esse superioris ordinis, et tangere Deum ipsum in se ut terminum talis similitudinis licet formaliter et subjective in se sit inferioris ordinis, sicut videmus posse hoc modo dari aliquas similitudines Dei, sicut homo dicitur factus ad similitudinem Dei, et lumen gloriæ est quædam similitudo Dei, imo omnis creatura immediate dicit relationem terminatam ad Deum in ratione creatoris, ergo etiam non

repugnabit dari similitudinem, quæ immediate terminetur ad Deum in ratione repræsentantis, sicut datur similitudo immediata terminata ad Deum in ratione effectus. Aut ostendatur ex vi rationis D. Thomæ quod sit discrimen inter similitudinem in ratione repræsentationis, et similitudinem in ratione effectus. Respondetur esse latam differentiam inter similitudinem seu relationem per modum effectus et similitudinem per modum repræsentationis, quia relatio per modum effectus solum terminatur ad Deum ut causantem, et secundum quod magis, vel minus specialiter causat, sic magis vel minus specialiter refertur, et assimilatur Deo ut causanti, sicut homo vel quælibet creatura intellectualis dicitur ad similitudinem Dei facta, id est, in ratione factæ, seu effectus specialiter similis Deo, quia assimilatur Deo quantum ad modum causandi per intellectum, et sic perfectius illi assimilantur, quam alii effectus, qui solum assimilantur Deo, ut causanti executive, et in esse, non ut causanti directive, seu quantum ad modum causandi per intellectum. Et similiter lumen gloriæ adhuc altius assimilantur Deo, ut causanti per intellectum quantum ad modum proprium divini intellectus in eo, in quo divinus est scilicet cognoscitivus sui, et fruitivus, et sic communicat creaturæ similitudinem sui, ut possit cognoscere, et frui se. Cæterum similitudo repræsentativa non solum debet esse effectus ad causam, nec respicere Deum solum ut causantem, sed ut est in ipso absolute, si quidem similitudo repræsentativa formaliter loquendo non respicit objectum ut efficienter causantem se, sed ut imbibens in se repræsentative id, quod in se objectum est realiter. Et sic videmus dari species quidditative, et proprie repræsentantes objectum, a quibus ef-

fective non procedunt, ut species infusæ a Deo, quæ repræsentant objecta quidditative in Angelis, et tamen non procedunt effective ab objectis, ergo manifestissimum signum est, quod similitudo repræsentativa non respicit objectum in ratione effectiva per se, et formaliter loquendo, sed omnino per accidens est, quod efficiatur, vel non efficiatur ab illo, et quod formaliter loquendo sit similitudo facta, sed solum objective imbibens id quod est in re repræsentata entitative.

XII. Sic ergo adstruamus rationem D. Thomæ: similitudo repræsentativa in esse intelligibili, qualis est in specie non potest formaliter in ratione similitudinis esse inferior ad intelligibilitatem illius objecti, cuius immediate est repræsentativa. Ergo si in quantum similitudo formaliter considerata est inferioris ordinis, utpote similitudo creata, et species creata in ipsa formali ratione repræsentationis, et similitudinis, impossibile est quin etiam immediatum repræsentatum per illam non sit res aliqua inferior, et creata, sed species repræsentans immediate aliquid creatum, non potest esse species impressa Dei ut est in se immediate sed ut continetur in aliquo effectui, a quo distat Deus infinite, ergo non potest dari species creata immediate repræsentativa Dei. Quia ipsa similitudo, seu repræsentatio ut formaliter intrinsece invenitur in specie, non est creata, sed increata, hoc ipso esset actus purus in ratione similitudinis, et intelligibilitatis, et consequenter etiam entitative esset Deus, quia actus purus in quocumque genere etiam intelligibili non potest alligari entitati creatæ, quia hæc potentialis est. Nec potest intelligi, quod similitudo illa formaliter inventa in specie in se sit creata, et terminative sit increata, hoc est quod im-

mediate attingat ipsum Deum. Nam contra est, quia intelligibilitas, et immaterialitas speciei secundum quam in se habet similitudinem intentionalem objecti, non potest esse diversæ rationis, et ordinis ab ipsa intelligibilitate, quæ est in objecto, quia hoc ipso, quod similitudo repræsentativa est, non potest respicere objectum formaliter per modum effectus ejus, sed per modum transformationis, seu repræsentationis ejus quod est in objecto ut transpositi in se, et contenti in se non esse entitative, sed intelligibili, facit enim immediate per ipsam cognosci rem repræsentatam quoad totum quod est in se, ergo ipsa in esse intelligibili transfertur in intellectum, et ad hoc solum servit species, ut loco objecti subrogetur, et totum ipsum transferat in intellectum non entitative, sed intelligibiliter. Si autem esse intelligibile objecti quod transfertur in specie ad intellectum sit etiam essentielle ipsi Deo, et actus purus in genere intelligibili, non poterit transferri ad speciem, nisi transferatur tota entitas divina, quia id quod est actus purus, necessario est substantia a se, et ens a se. Si autem esse intelligibile, quo constituitur species in esse intentionali similitudinis non sit intelligibilitas actus puri, sed intelligibilitas creata, hoc ipso oportet quod immediatum ejus repræsentatum, non sit actus purus, sed creatus in esse intelligibili, quia species repræsentans, et objectum immediate, et per se repræsentatum, ita debent adæquari quod communicent in eodem intelligibili formaliter. Reliquæ vero formæ, quæ respiciunt objectum divinum non repræsentative, sed per modum effectus derivati ab illo, vel ordinati ad illud non communicant in eodem esse intelligibili formaliter, sed respective, quia respiciunt illud secundum rationem effectus,

vel proportionis, et tendentiæ ad illud, non autem in se constituuntur formaliter, et intrinsece per aliquod esse ejusdem intelligibilitatis, et immaterialitatis.

XIII. Ad instantias, quæ obijciuntur contra antecedens respondetur loqui D. Thomam de specie inferioris ordinis, non in genere entis, sed in genere intentionali, et repræsentativo, ut dictum est. Et ad primam instantiam de specie expressa dicemus infra articulo quinto non dari et repugnare sicut impressam propter similitudinem repræsentativam, licet ex alia parte fortius militet in impressa, quia habet immediatam habitudinem ad objectum, et ideo si objectum non est limitatum, non habet a quo limitetur; species vero expressa respicit objectum prout intellectum, et quia finito modo est intellectum, videtur aliquo modo inde limitari. Quod tamen non obstare, ostendemus ibi.

XIV. Ad secundam instantiam respondetur species superiores bene posse continere res inferiores, nec requiritur adæquatio formalis, sed sufficit eminentialis inter speciem, et objectum, et ita quando requirimus adæquationem speciei ad objectum intelligitur ad minus requiri adæquationem formalem in eodem esse intelligibili. Si vero sit etiam eminentialis, ita quod habeat esse intelligibile excellentius, multo melius erit. Hoc tamen non currit respectu Dei clare visi, quia nulla intelligibilitas potest dari eminentior ipsa intelligibilitate Dei in se, quia divina est.

XV. Ad tertiam instantiam dicitur bene posse speciem Angeli inferioris repræsentare intuitive, et in se Angelum superiorem, licet sit diversæ immaterialitatis specificæ, quia non est diversi ordinis. D. Thomas autem non dixit, quod per speciem, seu similitudinem diversæ im-

materialitatis specificæ non possit repræsentari alia res, sed quod per similitudinem inferioris ordinis non potest repræsentari res superioris ordinis, sicut per speciem corporis res spirituale, sper speciem creatam res increata, isti enim diversi ordines ita tollunt proportionem inter speciem, et rem repræsentatam, quod impossibile est attingi rem in se, si quidem species manet alterius ordinis. Cæterum si intra eundem ordinem sit quantum ad immaterialitatem, non repugnat, quod species aliqua attingat rem repræsentatam in se, licet non cum omnimoda adæquatione in eadem specie immaterialitatis. Et ita solum sequitur, quod Angelus inferior non poterit attingere per speciem suam Angelum superiorem sicut ipse se attingit, non tamen quod non attingat ipsum ut est in se, quia in attingendo rem aliquam quidditative et in se citra comprehensionem potest esse latitudo, et sic non eodem modo attingetur Angelus superior ab inferiori, atque a se ipso.

XVI. Quod si dicas: Ergo similiter poterit citra comprehensionem Dei dari latitudo in specie repræsentante ipsum quidditative, ut est in se, et sic non sequitur, quod species repræsentans Deum in se quidditative, et non comprehensive sit actus purus, quia latitudinem habet, ergo erit res creata. Et præsertim quia si sufficit ad repræsentandum rem in se quidditative, quod sit ejusdem ordinis, sed non ejusdem immaterialitatis, ergo sufficet ad speciem repræsentativam Dei, quod sit ejusdem ordinis, scilicet divini, sicut sunt formæ supernaturales, participative tamen, et accidentaliter, sicut ipsæ, non tamen quod sit ejusdem immaterialitatis substantialis cum Deo. Respondetur esse diversam rationem in Deo, et in Angelo, vel in alia creatura, quod

intelligibilitas Dei, ut objectum est, quæ etiam relucere debet in specie, eique communicari, non est intelligibilitas creata, sed increata, et actus purus; si enim esset creata infinite distaret a Deo, et consequenter esset alterius ordinis, et sic non posset repræsentare ipsum in se. Si autem est increata, et actus purus hoc ipso non admittit latitudinem, sed indivisibilis, utpote habens omnem perfectionem infinitam. Unde non est medium, sed vel debet esse alterius ordinis, si est creata, vel debet esse omnino æqualis etiam specificæ, et individualiter si increata est. Quod non currit in Angelo, vel alia creatura, quod intelligibilitas est creata, quia hæc pati potest latitudinem, cum non sit actus purus, et ita potest esse, quod sit ejusdem ordinis cum illa, et sufficiens ad repræsentandum quidditative in se, non tamen ejusdem perfectionis specificæ. Ad id vero quod dicitur de aliis formis supernaturalibus, quæ sunt ordinis divini, dicemus statim respondendo ad instantiam Suarez. Et in summa formæ illæ supernaturales, cum non sint repræsentativæ, non habent idem esse intelligibile cum objecto, sed solum participant ab illo virtutem eliciendi intellectionem erga tale objectum. Et virtus potest esse ordinis divini participative, et accidentaliter, quia est elevatio creatæ potentiæ, quæ accidentaliter est, species vero quæ intelligibilitatem objecti participat, non potest accidentalem intelligibilitatem habere, nisi esse intelligibile in objecto accidentale, sicut in creatura, et non ejus substantia sicut est in Deo, aut alias non participabit species in se illam intelligibilitatem, quæ est in objecto immediate, sed etiam quæ est alterius objecti. Hoc ipso autem quod est alterius objecti extra Deum, erit intelligibilitas creata, et consequenter alterius ordinis.

XVII. Ad quartam ex p. Vazquez respondetur in specie informationem per modum inhærentiæ non considerari per se, sed per accidens, scilicet ex parte ejus quod entitativum est in specie non ex parte ejus, quod formale, et repræsentativum, sicut patet quod salvari potest ratio speciei quantum ad id quod intelligibile est in substantia Angeli, vel animæ separatæ reddit proprium intellectum intelligibiliter actuatum. Quod vero species non solum entitative inhæreat, sed etiam intelligibili informatione actuet, quia informatio abstrahit ab inhærentia, constat ex duobus; a posteriori quidem quia species existens in aere, vel conservata in memoria informat subjectum per modum accidentis inhærentis, nec tamen informat eo modo, quo potentia actu cognoscens redditur informata, ergo aliqua distincta informatio ponitur in specie, quando cognoscitive. Nec illa informatio est solum ex parte ipsius cognitionis, sed ex parte speciei, quia antecedenter ad ipsam cognitionem informatur potentia illo modo cognoscibili si quidem ad patiendum, et eliciendum notitiam informatur ab objecto illo modo intentionali, et speciali, quo non informatur aer. A priori autem sumitur ratio ex eo quod in informatione inhærentis informatur subjectum ab ipsa specie, ut qualitas est, per informationem autem cognoscibilem non informat sola entitas speciei, sed objectum per ipsam repræsentatum, licet de facto intercedat etiam inhærentia ipsius speciei. Objectum autem in ratione objecti non informat per modum inhærentiæ, quia non ponit in potentia effectum formalem inhærentis, et quantum ad esse physicum, sicut objectum visus, quod est color, non reddit ipsum visum coloratum (quod fieret per inhæren-